



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1606. usque ad annum 1610

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1776**

**VD18 90118820**

§. 39. Pacis articuli.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67222](#)

Præco ad populum declamaret, Bu-  
chemius & Knæveus bene poti cum mi-  
nistris aliquot templum ingressi vulne-  
ratis non paucis miserum hunc Concio-  
natorem e suggestu ac Templo profliga-  
rent, tanto excitato tumultu, ut pueri  
quidam pedibus conculcati perirent,  
omnesque extrema quæque sibi immi-  
nere vererentur. Ea res Hungaros ad-  
eo commoverat, ut Turso & Badianius,  
qui pacis negotio adesse debebant, urbe  
excedere pararent, ægre a Collenitzio  
& Molarto retenti. Sedato demum tu-  
multu die vigesima quinta Octobris Cæ-  
farei Legati, qui Solimanum Bassam  
Budensem, cum jam septem annis Vien-  
næ captivus hæreret, & alterum Hali  
nomine secum adduxerant, ad destina-  
tum sibi locum convenere: pariter Illis-  
hascius & Proceres Hungari, ac  
tandem Turcici Legati accessere. No-  
no igitur Novembris die re utrinque a-  
criter disceptata negotium hoc feliciter  
confectum, & pax post cruentum sex-  
decim annorum bellum cum Turcis san-  
cita est, præstito utrinque juramento,  
obsidibusque in fidei pignus utriusque  
parti traditis.

Sæc. XVII.  
A. C. 1606.

### §. XXXIX.

#### *Pacis articuli.*

G 4

Porro

Sæc. XVII. Porro in has transactum erat conditio  
A. C. 1606.

*Calmet hist.  
Univers.  
üb. 153.*

nes. I. Deinceps Cæsar ab Otto  
mano Imperatore Pater, & hic vicissim  
ab illo Filius, ambo vero abolito Regis  
titulo Imperatores deinceps nominen-  
tur. II. Tartari hoc fœdere compre-  
hendantur, nec tempore pacis Christia-  
nos infestent. III. In hac pace, qua  
ad viginti annos extendatur, compre-  
hensa sint utriusque Imperii Regna &  
universæ Domus Austriacæ ditiones  
IV. Neutra pars obfistat, si Hispania  
Rex cum Turcis convenire velit. V.  
Ab Excursionibus, & latrociniis utrin-  
que abstineatur, qui secus fecerint, se-  
vere puniti damna resarciant, relicta ta-  
men sit cuilibet piratas & prædones in-  
sectandi potestas. VI. Nulla clande-  
stina consilia ineantur, nullusque re-  
ceptus maleficis præbeatur, ceteris ve-  
ro negotii caussa liber utrinque sit tran-  
itus. VII. Penes Jaurini Praefectum  
& Budensem Bassam de controversiis  
forte exortis plenum jus decidendi sit,  
rem tamen majoris momenti, si ab eis  
transfigi nequit, ad utrumque Impera-  
torem referant. VIII. Neutra pars  
propugnacula dirutasque arces reparet  
IX. Captivi utrinque in libertatem vin-  
dicentur, vel permutatione vel soluto  
lytro dimittendi. X. Statim Rudolphus  
Cæsar suum Legatum cum ducentorum

mil-

millium florenorum munere Constanti-  
nopolin, vicissim vero Sultanus suum  
cum pretiosissimis muneribus Pragam  
decernat, quod idem singulis trienniis  
fiat. XI. Vaccia Christianis, Strigo-  
nium Turcis relinquatur, cunctis ad  
pristinum statum revocatis, nec ulla  
vi Religioni illata. Firmatis hisce ar-  
ticulis ingens passim lætitia exstittit, ac  
Christiani quidem die decima tertia No-  
vembris reboantibus belli tormentis Am-  
brosianum Hymnum Comorræ decan-  
tabant, Sultanus quoque per Buden-  
sem Bassam de confecta pace certior fa-  
ctus, cum ingenti Janisserorum multitu-  
dine augustius Templum ingressus Ma-  
hometi suo solemnes gratias rependit.

## §. XL.

*Botskaius Transylvaniæ Princeps ve-  
neno necatus.*

Haud diu Stephanus Botskaius Tran-  
sylvaniæ Principatu, quem ex pa-  
cis præscripto jure fiduciario possede-  
rat, quiete potiebatur; Cantajus enim  
ejus Cancellarius Principi suo, quem  
ad prandium invitaverat, venenum pro-  
pinabat, quo hausto Botskaius perfid-  
um hunc Ministrum quantocius in vin-  
cula conjectum capitis supplicio affici  
jussit, subrogato Joanne Janusio, &  
G 5 Can-

*Han Panon.  
hoc ann.*